



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Celeberrimo eruditorum hominum apud Cantabrigienses Collegio  
sanctissimæ Trinitati dedicato, Edouardus Godsalfus Anglus eiusdem  
Collegij Socius. S. D. P.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



# CELEBERRIMO

eruditorum hominum apud Cantabrigienses Collegio sanctissimæ Trinitati dedicato, Edouardus Godsalvus Anglus eiusdem Collegij Socius. S. D. P.



A est humanæ improbitatis, peruersitatisque ratio, vt nihil fit siue recens inuentum, siue ex aliorum scriptis decerptum (licet ad diuinam gloriã reipublicęque vtilitatem valeat plurimum) quin idem in maleuolorum hominũ reprehensionem incurrat. Hinc factum est, vt optimus & prudentissimus quisque Christianæ reipublicæ studiosus patronum sibi deligat, cuius vel ingenio, vel potentia, vel vtroque munitus, calumniatorũ iniurijs obistere queat. Mihi verò (viri ornatissimi) non aliud faciendum videtur in dedicatione historiæ Ecclesiasticæ: quæ ab Eusebio, reliquisque Græco sermone contexta, à doctissimo, disertissimoque viro Ioanne Christophorono Anglo Cicestrensi episcopo complurium manu descriptorum, nec non vndique conquifitorum exemplarium collatione emēdata maximè, nec minus fideliter in Latinum conuersa tandem aliquando in publicum prodit, & patre mortuo patronorũ indiget. Quapropter vestram propugnationem ac defensionem sui de-  
poscit



## EPISTOLA

poscit: ne utiquam diffidens tantā, tamque præ-  
 claram literatorum hominum societate, instar  
 magni & quolibet armorū genere instructi mu-  
 nitiq; exercitus; omnium omnino aduersario-  
 rum vim facillimè posse repellere. Theophra-  
 stus moriens accusasse naturam dicitur, quòd  
 ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorū  
 id nihil interesset: hominibus, quorum maxi-  
 mè interfuisset, tam exiguā vitam dedisset. At-  
 qui certè Reuerendissimi eloquentissimiq; an-  
 tistitis nostri præmaturam mortem dolentius  
 deplorare liberet, si id omnino liceret. Cuius si  
 ætas fuisset longinquior, & abūdasset ocio, nō  
 modò hæc accuratius exquisitiūsq; limata, sed  
 & antiquissima Græcorū monumenta detesta-  
 bili hæreticorum perfidia corrupta, ab eodē cor-  
 recta, emēdata, & perpolita prodijissent. Sed æ-  
 quo animo ferendū est, quicquid diuina volun-  
 tate accidit. Atque est nobis gaudendum hunc  
 reipublicæ Christianæ fuisse datū diuinitus: illi  
 gratulādum vita breui traducta cursum gloriæ  
 superesse sempiternum. Vos autem, qui viuum  
 propter summam & scientiæ & virtutis opini-  
 onem adamastis, mortui charissima pignora li-  
 benter complectimini. Hæc vobis donatur mu-  
 nera: nō plebeij alicuius philosophi, aut obscu-  
 ri hominis, sed illius quidem, cuius lumen in-  
 genij, animiq; ornamenta non modò familiari-  
 tatem cum doctissimis Christiani orbis homi-  
 nibus attulerunt, sed eosdem etiam in magnam  
 sui admirationem traduxerunt. Ne multis: hoc  
 nomine in gratia fuit apud serenissimam Regi-

*Cic. Tus.  
 q. lib. 3.*



EPISTOLA

nam (foelicis recordationis) Mariam. Cuius beneficio primū amplissimo collegio nostro præfectus, deinde cathedrali Christi apud Norduicenses ecclesiæ Decanus designatus: tum denique Cicestrensis dioceseos episcopus creatus est. Quàm velim hoc loco vitam illius totam pro dignitate explicare? Sed omnino explicatiōne supersedendum est, partim quòd in re vobis notissima & minimè necessaria multam operã frustra consumerem, partim quòd non ita diu à præclara illa quidem Interpretis præfatione legenda vos detinerem. Vt alia omittam, hoc vnum declarat quàm magno ingenio fuerit. Etenim academiæ Cantabrigensis alumnus, Ioannis Redmanni doctoris Theologiæ viri & doctrina & pietate præcedentis discipulus, Latini pariter & Græci sermonis sexennio literatè peritus euasit. Aliquot post annos ocium ac tranquillitatem vitæ Religionis ergo secutus, exteras regiones peragrauit. Vbi quinque annorū curriculo collegij benignitate sustentatus, quatuor Philonis libellos eidem consecrauit, totidem verò nondum in lucem editos conuertit: hanc itidem nostram Eusebij ac ceterorum deinceps historiam Latinè loquētem fecit, atque maiorum vigiliariū munus in vestro nomine apparere voluit. Ne sit igitur vobis molestum, munus vltro oblatum beneuolis animis accipere: munus, inquam, quod & vobis singulis utilitati, & cuncto collegio honori, & summo etiam vniuersæ reipublicæ Christianæ emolumento esse possit. Vos autem (mihi credite)

vestri



DEDICATORIA.

vestri patrocini non pœnitebit. Habetis (viri ornatissimi) opus coagmentatum: quod rerū quingentos amplius annos in ecclesia gestarū (videlicet iam inde à nato Seruatore ad Mauriciū vsque Tiberium imperatorē Romanum) narrationem mira varietate exornatam continet. In qua tanquam in speculo primæuæ & Apostolicæ ecclesiæ expressam & politā effigiē aspicere, Sanctos illos & augustos maiorū nostrorum ritus liceat agnoscere. Id quod exemplorum appositione fiet illustrius. Tremendum & incruentum Missæ sacrificiū à sanctissimis patribus tūc temporis factitatū est. Quod passim ab innouatoribus (proch dolor) sublatū est. quid dico sublatum? imò (quod nephas habeo nominare) obtrusa est abominatio desolationis: quam fore vaticinatus est Daniel. Illa ætate patres in ecclesia pro defunctorum salute orabant & deprecabantur: has preces & orationes ludibrio & despectui habet ista progenies viperarum. Sacramentū pœnitentię (quod nos secretam, siue auricularem confessionem appellamus) vnicū illud quidem, quod relapsis adhibetur à Spiritu sancto institutū remediū, quo Deus totius consolationis alleuat (vt propheta canit) omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos, istorum hereticorum generatio adultera & peruersa tollit funditus. Quorsum tandem hoc salutare solatium tollit? quorsum? vt peccatorum consciencia haudquaquam stimulatē pro sua quisque libidine viuat. viuat autē? imo prudens, sciēs moriatur; nec tantum moriatur, sed

† 4

etiam

*De vita*

*Constā.*

*lib. 4. c.*

*45.*

*Dani. c.*

*9.*

*De vita*

*Constā. li.*

*4. ca. 71.*

*Soc. li. 5.*

*c. 19. Zo*

*zom. li. 7*

*c. 16.*

*Psa. 144*



## EPISTOLA

etiam viuus, videntque (quod horreo dicere) eternum pereat. Quid multa? reliquas sacrosanctas atque solennes Christianæ religionis ceremonias, plus mille ab hinc annis in ecclesia catholica frequentatas, nobis & ad intuentum & ad imitandum proponit historia. Quas quidem ceremonias iam vsque à primis illis atque optimis ductas temporibus, religiosissimeque obseruatas, quasi recentissima inuenta, atque adeo ex nostro sensu deprompta, coniurata hæreticorum turba scurrili, & plusquam Scenica insectas petulantia delere conatur. O nefarium conatum. adeo imperitam & credulam multitudinem vanis inanibusque assertionibus decipit, fallit, capit. Quod testis temporum, lux veritatis, vita memoria, memoria vitæ, nuncia vetustatis patefacit historia nostra. Cuius è Græco in Latinum vertenda prouinciam nemo hæcenus suscepit præter Vuolfgangum Musculum. Hic autem satis correctis (vt credibile est) exemplaribus destitutus, innumeris locis turpissime labitur. Est porò adeo obscurus, vt interpretes egeat interprete: adeo salebrosus, vt lector identidem inhæreat: adeo lacunosus, vt authores ipsi Græci historiae suæ sententias non fuisse expletas, grauiter conquerantur. Et, quod caput est, studio parum ductus alienum sensum longeque à Græca veritate abhorrentem, & consultò & sæpenumero affingit. vt corrupisse potius, quam conuertisse merito existimari debeat. At verò hic noster, quod est interpretis proprium, fideliter, Latine, dilucidè, numerosè exprimere, id omnino præ-



## DEDICATORIA.

no præstat: nec planè scire potest disertior ne, an  
fidelior fuerit. Ecce vobis oblatum est eximiũ  
opus ad Dei gloriam & vtilitatem Reipublicæ  
ab omni laude cumulado interprete elucubra-  
tum: quod Reuerendissimus paulo ante quàm  
è vita migravit, meæ commisit fidei. Quamob-  
rem celeberrimo collegiò nostro (cui metum in  
literis progressum, qualis ille cunque & quan-  
tuluscunque sit, proximè, & secundum Deum  
acceptum refero) concreditum mihi hunc ma-  
gnificentissimum ecclesiasticæ historiæ thesau-  
rum nomine interpretis largior. Quem quidè  
offerentis non dubitè erga vos benevolentia te-  
stem in optimam partem accipere: donatis ve-  
rò amplissimum monumentum permagnò æ-  
stimare: memoriam autem demortui vos vicif-  
sim piè, inuiolateque seruare velle confido.  
Faxit Deus Opt. Max. vt diutissimè incolu-  
mes, nec non omni genere pietatis & doctrinæ  
florentes de republica Christiana benè mereri  
possitis.

Cicestræ 10. Calendas Iulij. Anno 1559.

† 5

Proœmium